UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Pavli Laymann è Societate I: Theologiæ Moralis Compendiv[m] absolutissimum et in quinq[ue] libros partitum

Laymann, Paul

Moguntiæ

Cap. 1. De Not. definit: & diuisione decimarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40716

Visual Library

TRACTATVS VI.

De Decimis.

CAP. I.

De Natione, Definitione ac Diuiſione Decimarum.

1 SPectato iure communi Canonico ex omnibus licitè acquiſitis decima pars Eccleſiæ miniſtris debetur; Decima autem dicitur, quia pars decima eſt fructuum & bonorum, ex quibus penditur iuxta Leuit. vlti. cap. *Omnes decimæ terræ ſiue de frugibus, ſiue de pomis arborum domini ſunt.* Sumitur ex C. peruenit de decimis & S. Auguſtinus. Decimæ ex debito requiruntur, & qui eas dare noluerit, res alienas inuaſit.

2 Abſque temeritate negari non poteſt decimarum præſtatio Eccleſiæ miniſtris fieri ſolitâ. à prima Eccleſia huiuſq; inter Chriſtianos vſitatam fuiſſe, tanquam Apoſtolicam traditionem certum eſt.

3 Decimæ aliæ ſunt prædiales (quæ è fundis, agris, vineis, ſyluis, hordis, ædium locatione penduntur) aliæ perſonales (quæ ex lucro perſonalis induſtriæ, puta negotiatione, militia, veneratione &c, penditur) aliæ mixtæ, (quæ ex fructibus pecorum concurrente induſtria perſonali, lacte, caſeo, ouis penduntur.

4 Decimæ Prædiales & mixtæ integræ ſolui debent non deductis impendiis culturæ, neque deducta penſione cenſus aut tributi. Quia Decimæ ante has exactiones ſolui debent, vel ſi aliter factum fuerit, ii ad quos cenſus vel tributa in decimam peru

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

pertienerunt Eccleſiis decimare coguntur: quia
res tranſit cum onere. Decimæ autem perſonales
non niſi deductis expenſis debentur, ſoluuntur
enim ratione lucri. Lucrum autem non intelli-
gitur, niſi deductis impendiis l. Mutius ff. pro
ſocio.

NB. Decimas prædiales ac mixtas in Veteri Te-
ſtamento Deus præcepit integras ſolui, non autem
oportebat Miniſtros Euangelicos deterioris eſſe
conditionis, quam Sacerdotes veteres: ſed perſo-
nales decimæ ab Eccleſia primum imperari cepe-
runt: quia non omnes Chriſtiani poſſeſſiones im-
mobilium habebant, quos tamen etiam adminiſtro-
rum ſuſtentationem aliquid contribuere oportebat
iuxta Sanctum Auguſtinum, ſed tales iam abolitæ
ſunt.

Decimæ aliæ Maiores vini, frumenti; Aliæ Mi- 5
nores pomorum gallinarum, &c. Item aliæ Eccle-
ſiaſticæ (quæ primæuam inſtitutionem ſuam reti-
nentes Eccleſiæ miniſtris ob ſpirituales eorum fun-
ctiones ſtipendii loco à fidelibus præſtantur: Aliæ
vero, quæ ex conceſſione Eccleſiæ ob iuſtam cau-
ſam laicis obuenerunt, Laicales decimæ appellari
ſolent, item profanæ impoſitæ loco tributorum à
dominis temporalibus.

In dubio Decimæ cenſeri debent non Laicales 6
ſed Eccleſiaſticæ quippe quod Chriſtianis commu-
nis lex & conſuetudo ſemper fuerit, & ex prædiis
ſuis Eccleſiæ decimas penderent.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN